

- hinc stomacho uires; nam pes argenteus illis,  
 anulus in digito quod ferreus. Ergo superbum  
 conuiuam caveo, qui me sibi comparat et res 130  
 despicit exiguas. Adeo nulla uncia nobis  
 est eboris, nec tessellae nec calculus ex hac  
 materia, quin ipsa manubria cultellorum  
 ossea. Non tamen his ulla umquam obsonia fiunt  
 rancidula aut ideo peior gallina secatur. 135  
 Sed nec structor erit cui cedere debeat omnis  
 pergula, discipulus Trypheri doctoris, aput quem  
 sumine cum magno lepus atque aper et pygargus  
 et Scythicae uolucres et phoenicopterus ingens  
 et Gaetulus oryx hebeti lautissima ferro 140  
 caeditur et tota sonat ulmea cena Subura.  
 Nec frustum capreae subducere nec latus Afrae  
 nouit auis noster, tirunculus ac rudis omni  
 tempore et exiguae frustis inbutus ofellae.  
 Plebeios calices et paucis assibus emptos 145  
 porriget incultus puer atque a frigore tutus.  
 Non Phryx aut Lycius, non a mangone petitus  
 quisquam erit. Id magnum : cum posces, posce latine.  
 Idem habitus cunctis, tonsi rectique capilli  
 atque hodie tantum propter conuiuia pexi. 150  
 Pastoris duri hic est filius, ille bubulci;  
 suspirat longo non uisam tempore matrem,  
 et casulam et notos tristis desiderat haedos